



L III 117

ARC 1947 JK v 83



SLUB

Wir führen Wissen.



Stadt Görlitz



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK



Uniwersytet
Wrocławski



521
273
Æternitati S.

Memoria suavissima
Strenui & Nobilissimi

Genere, Virtute & doctrinâ variâ

DN.

IOACHIMIA NOSTITZ
in Noës

EQVITIS LUSATII,

inter pia vota & suspiria ex
hac mortalitate

ad beatorum consuetudinem cœlestem
non sine magno suorum desiderio,
6. Id. Maias Anno O. R.

CLIO IOCIV.

Evocati,

cùm vixisset Ann. XXXVIII.
Hebd. XX. D. II.

Monumentum positum

à

M. Eliâ Cüchlero Poëtâ & Præceptore
Schola Gorlicens.

Gorlicii exscriptum typis
Iohannis Rhambæ,

In Insignia
Nobilissimæ & Antiquissimæ
NOSTITORVM
FAMILIÆ.



Cornua Nosticia gentis bicoloria cassis
Ostentans, robur Marte togâq; refert.
Dens sed apri bicolor, geminum quem sustinet umbo:
Denotat in Patriam sorte in utrâq; fidem.
Cæruleus umbo micat: cœlo dignissima virtus:
Nobilitat virtus sola, deosq; facit.

M. E. C. P. C.



525
280

T V M V L V S

Strenui & Nobilissimi Dn.

Ioachimi à Noftitz in Noës

EQUIT. LVSAT. &c.

S Iste viator, habet cineres hoc aggere tumba
Nobilis & nati ad maxima quæq; viri.
Nomen scire cupis? Ioachimo est nobile nomen:
Nosticios patrem jaçtat avûmq; patres.
Stemma insigne decus loquitur virtutis avitæ:
Cornua quam signant densq; frementis apri.
Accipe natalem, Ioachimus ei attulit ortum:
Belgica post annum cum movet arma Furor.
Ingeniû inde puta; quòd Hebræos cumq; Latinis
Fundere Grajugenûm calluit ore sonos.
Excoluere illud juveni vernante sub ævo
Eusebie, Musæ, Svada comesq; Themis:
Quâ se Nissus agit: quâ Vari clade Visurgis
Clarior: atq; Vbiûm Rhenus amatus agris.
Vis animum? Pietas hunc emenda verat omni
Purgatum sceleris fæce, luisq; situ.

A 2

Hic

Hic animus contemtor opum, cōtemtor honorum,
Omni seruitio liber, herusq; sibi.
Sed quid mentis erat? fuit in se tota reflexa,
Quam meritò Sapiens optet inesse sibi:
Se contenta, sui compos & conscia tota,
Christoq; innitens usq; tenace fide:
Quæ vellet vicii sobolem succumbere letho
Antè suo quàm se carcere surriperet.
Quos mores dicam? casti, candore quibusvis
Accepto faciles conciliare bonos.
Non arrisit ei curas exosa voluptas,
Luxuriesq; parens, fomes & ansa mali.
Has veneres coluit solas: quæ Vera Bonumq;
Sectatæ menti pabula docta forent.
Vis cursus stadium? virtutē & honesta secutum
Assciuit princeps Slesidos aula Bregæ.
Inde maritalis lecti cum fœdus inivit:
Floruit æternâ pace & amore torus.
Vnica cura fuit, sanâ benè mente valere:
Naturâq; ducem ad pulcra & honesta sequi.
Relligionis amor iussit defendere Verum:
Atq; datis opibus sacra iuvare DEI.

Felicem

~~285~~
281

Felicem, Fovæ quisquis juvat incola sedes!
Oppressus nunquam pondere quassat humum.
Vis abitum è vitâ? mens fati certa, vocantem
De statione fuit sponte secuta Deum.
Gnara, diem vitæ natalem perpetis esse:
Quam ceu postremam vulgus agreste timet.
Hoc sapere est hominis: dum vivat, discere fati
Legē: ut mors veniat deinde timenda minus.
Nil metuit lethum: cui spes hæc certa reposta est:
Quòd sit mors vitæ janua: quòd sit iter.
Ætatem inquiris? brevis est & longa: brevis sit,
Si seriem annorum, si numeresq; dies:
Tres messes totas, septenaq; lustra peregit,
Circuitus Phœbes quinque diesq; pares:
Cum repetit ortus cœlestia semina mente:
Cum retulit matri corpus onusq; datum.
Longa sed est ætas eadem, benè namq; peracta est:
Quàm benè agas, refert, secula non quot agas.
Nec præmaturo letho cecidisse putetur:
Quem senibus reddunt omnia summa parem.
Ingenium maturum, animus virtute subactus,
Mensq; sui compos quid juvenile sapit?

A 3

Virtus

Virtus ex oculis citò se maturior aufert:

Maturum est cui non altiùs ire datur.

Langvescit citiùs: quo clarior emicat ignis:

Vivit, qui fumi nube nigrante latet:

Par ratio ingenii: quod quo felicius extat:

Hoc maturescit promptiùs atq; fugit.

Dicere plura vetant dicturum plurima manes,

Hæc cape, quæ libo carmine multa brevi.

Hunc tumulum Pietas & Alethognosia servat,

Sophrosyne, Charites, Musa, Suada, Dice.

Pluria ne quæras: dixi omnia: jamq; viator

Supremùm, cineri sit benè dic, & abi.

Ioachimus Nosticius

Ἰωαχάμου νοστικῆς.

Io, cui sonat hic? Musis.

Ante obitum voces foachimus ab ore cygnéas,
Totus inardescens Flaminis igne sacri,

Quas dedit: audivit Parcarum tetricus ordo:

Admiratus, Io, cui sonat hicce, rogat.

Tùm Phœbus: (neq; enim cultores deserit usquam)

Quæritis? hic Musis, quod sonat, omne sonat.

Stamina

527
282
Stamina rumpatis : Musis tamen usq³ sonabit :

Cælicus augeſcet hocce ſonante chorus.

Præmia ſunt cælo Musis immenſa repoſta :

Præmia, quæ minuet nulla futura dies.

Musis angelicis permixtus & ipſe videbit

Ora D E I, & præſens hauriet aure ſonos.

O fortunatum angelicis qui carmina Musis

Digna ſonat ! pars eſt cœlitis una chori.

Seneca de Brevitate vitæ c. 7.

*Vivere totâ vitâ diſcendum : & quod magis fortaffe
miraberis, totâ vitâ diſcendum
eſt mori.*

*Q*uomodo traducas vivenda tempora vitæ
Diſcendū eſt: dum mens corpore captâ manet.

Majus at hoc etiam fortaffe videbitur: omni

Vitâ diſcendum: quî moriari ſemel.

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



SLUB

Wir führen Wissen.



Stadt Görlitz



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK



Uniwersytet
Wrocławski



